



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Benedictio mulieris prægnantis, ubi aut matris aut infamis vita periclitatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

propagationem misericorditer nobis concedat, in nomine Pa **✠** tris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Postea aspergat illos aquâ benedictâ,  
& dimittat.

**C**Avendus vero crassus ille error, & rei sacrae manifestus abusus, quo, tali maleficio vexatis succurri posse, aliqui putant, si vir & mulier, priori matrimonio, legitime & in facie Ecclesie contracto, mutuo consensu renuncient, & novum coram Sacerdote contrahant. Cum enim nulla sit ratio, cur secundum matrimonium contra ejusmodi maleficia remedium efficacius esse possit, quam primum; verisimile est, hoc procurari à Demone, omnium maleficiorum autore, ut res sacras hominibus ludibrio exponat. Deinde Sacramento Matrimonii gravis irrogatur injuria; quod, semel rite contractum, neque Ecclesie autoritate neque mutuo partium consensu solvi potest; dicente Domino: Quod Deus conjunxit, homo non separet.

Benedictio mulieris prægnantis, ubi aut matris aut infantis vita periclitatur.

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Salvam fac ancillam tuam. *Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Esto illi, Domine, tur-

ris



ris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.*  
 Nihil proficiat inimicus in ea. *Resp.* Et filius  
 iniquitatis non apponat nocere ei. *Vers.* Mit-  
 te ei Domine auxilium de sancto. *Resp.* Et  
 de Sion tuere eam. *Vers.* Domine exaudi  
 orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te  
 veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et  
 cum spiritu tuo.

Oremus.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui dedi-  
 sti famulis tuis, in confessione veræ fi-  
 dei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, &  
 in potentia majestatis adorare unitatem:  
 quæsumus, ut, ejusdem fidei firmitate, hæc  
 famula tua ab omnibus semper muniatur ad-  
 versis. Per Dominum nostrum.

Oremus.

**D**omine Deus, omnium Creator, fortis  
 & terribilis, justus & misericors; qui so-  
 lus bonus & pius es; qui de omni malo libe-  
 ras Israel, qui electos Patres munere Spiritus  
 tui sanctificasti; qui gloriosæ Virginis matris  
 Mariæ corpus & animam, ut dignum Fi-  
 lii tui habitaculum esse mereretur, Spiritu  
 sancto cooperante præparasti; qui Ioan-  
 nem Baptistam Spiritu sancto repleri &  
 in utero matris exultare fecisti: accipe

facri-



sacrificium cordis contriti, ac fervens desiderium famulæ tuæ *N.* humiliter supplicantis, pro conservatione prolis debilis, quam ei dedisti concipere; & custodi partem tuam, & defende ab omni dolo & injuria dicti hostis; ut, obstetricante manu misericordiæ tuæ, fœtus ejus ad hanc lucem veniat incolumis, ac sanctæ regenerationi servetur, tibi que in omnibus jugiter deserviat, & vitam consequi mereatur æternam. Per eundem Dominum.

*Postea aspergat aquâ benedictâ, dicendo*

*pag. 289.*

*Psalmum 66. Deus misereatur nostri, &c.*

*Vers.* Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. *Resp.* Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. *Vers.* Angelis suis mandet de te. *Resp.* Ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Vers.* Domine, exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**V**isita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea, & à præsentifamula tua, longe repelle; & Angeli tui sancti habitent in ea, qui eam, & fœtum ejus, ab omni adversitate & mortis periculo, tua bene ✠ dictione, custodiant. Per Dominum nostrum.

Bene-



Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠,  
& Filii, & Spiritus sancti, descendat super  
vos, & maneat semper. Amen.

*Benedictio purificanda mulieris post partum.*

N O T A T I O.

**S**I qua puerpera post partum, juxta piam ac laudabilem consuetudinem, ad Ecclesiam venire voluerit, pro incolumitate suâ Deo gratias actura, petieritque à Sacerdote benedictionem; ipse, superpelliceo & stola alba indutus, cum ministro aspergillum deferente, ad fores Ecclesiæ accedat; ubi illam, foris ad limina genuflectentem, & candelam accensam in manu tenentem, & prolem, si ea supersit, in ulnis gestantem, aquâ benedictâ aspergat; deinde dicat:

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Deinde præbeat mulieri partem stola, & pergat ad altare, inchoans *Antiph.* Hæc accipiet benedictionem à Domino. Deinde prosequatur *Psalmum* 23, Domini est terra & plenitudo ejus: *vel Psalmum* 120.

**L**Evavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet: qui custodit Israel.